



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Tractatus Exegeticus Ad Librum III. Decretalium Gregorii
IX. Contractus in specie secundum rubricarum ordinem
exponens**

Scharz, Oddo

Salisburgi, 1738

§. V. Quæ beneficia fidejussoribus competant?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63816)

nos admittimus. Cæterum non nescimus, alteram sententiam in praxi obtinere, quam Stryckius, Author practicus, ad *b. t. §. 9.* in theoria quoque veriore esse asserit, cujus tamen asseriti nulla congrua probatione fidem facit. Utramque sententiam conciliare studet Clar. D.D. Peregrinici. n. quem consule.

35 Cùm ex contractu nascatur obligatio, ex obligatione actio *arg. priuc. Inst. de mand.* ideo cùm de obligatione fidejussoris hæctenus actum sit, quæ actiones ex fidejussione, vel ejus occasione nascantur, paucis dicendum est. Igitur ex fidejussione nascitur actio *ex stipulatu*, quæ est *stricti juris*, qua fide-

jussor à creditore, vel ejus hæredibus convenitur in id, quod pro debitore principali fide sua promisit. Si mandato *rei principalis* fidem suam interposuit, datur fidejussori actio *mandati contraria*, contra debitorem ad id, quod pro eo solvit, repetendum *l. 4. princ. ff. b. t. l. 33. ff. Mand.* quæ tamen regulariter ante solutionem non datur *l. 14. princ. l. 22. princ. l. 51. ff. Mand. §. 6. Inst. b. t.* nisi in certis quibusdam casibus *l. 36. §. 1. ff. Mand.* Vid. Hering *cap. 25. num. 12.* & *seqq.* si pro absente sponte fidejussit, actio *negotiorum gestorum* fidejussori datur *l. 4. ff. b. t. l. 20. §. 1. ff. Mand. l. 4. l. 5. princ. ff. de negot. gest.*

§. V.

Quæ beneficia fidejussoribus competant?

SUMMARI A.

36. Tria beneficia fidejussori competunt. Beneficium ordinis describitur. 37. In quibus casibus hoc beneficium cesset? 38. Juramentum hic non habet vim renunciationis. 39. 40. Solvuntur duæ oppositiones. 41. Ulterius recensentur casus, in quibus debitor principalis excuti nequit. 42. Alterum beneficium vocatur *Divisionis*, huic quomodo, & quando locus sit? 43. Fidejussori non ipso jure, sed ope exceptionis prodest. 44. Cessat variis casibus, qui enumerantur. 45. Tertium beneficium vocatur *cedendarum actionum*, quod describitur. 46. An cessio actionum post solutionem ex intervallo fieri possit? 47. Affirmamus. 48. Ad textus oppositos respondemus. 49. 50. 51. Specialia quadam de fidejussoribus. 52. Quæ alia exceptiones fidejussoribus competant? 53. An termino solutionis debitori prorogato liberetur fidejussor, sub distinctione resolvitur. 54. De aliis beneficiis fidejussorum, & quomodo eorum obligatio evanescat, remissivè.

36 **T**ria præcipuè beneficia in jure reperire est, quibus fidejussores adjuvantur, videlicet beneficium *Ordinis*, seu *Excussionis*, *Divisionis*, & *cedendarum actionum*. De singulis sigillatim.

Beneficium *Ordinis*, sive *excussionis*, quod Justinianum Authorem habet *Novell. 4. cap. 1.* Auth. *presente C. b. t.* & Auth. *si debitor C. de Pignor.* in eo consistit, quod fidejussor conventus petat, ut prius conveniatur, sive excu-

(K k)

tia-

tiatur debitor principalis. Hæc exceptio secundum Harpprecht ad *Inst. h. t. num. 26.* regulariter ante litem contestatam opponenda est; nisi enim fidejussor excipiat, & debitoris principalis excussionem petat, judex principalem excutere non debet, liberum enim est fidejussori isthoc beneficio uti, vel non. Gail. verò *lib. 2. observ. 27. num. 3.* & Berlich. *part. 1. conclus. 11. num. 21.* exceptionem hanc potius *peremptoriam* esse, & usque ad sententiam opponi posse censent, quia hæc exceptio in effectu vim *peremptoria* habet, si enim principalis solvendo sit, fidejussor omnino liberatur. Quòd si principalis ab initio quidem solvendo non sit, adeoque fidejussor conveniatur, & cum eo lis contestetur, postmodum verò principalis propter supervenientem v. g. insperatam hæreditatem solvendo fiat, beneficium *excussionis* fidejussori adhuc dandum tenet Fachinæus *lib. 8. cap. 56.* quia scilicet exceptio de novo emergens etiam post litem contestationem opponi potest. *l. 11. §. 8. ff. de interrog. in jur. faciend.* Caterum hæc excussio debitoris principalis facienda est *usque ad saccum, & peram*, ut loquuntur DD. & nil præter vestem, quâ tegatur, relinquendum.

37 Hoc beneficium *excussionis* certis casibus cessat. Et quidem I. si eidem renunciatur *l. penult. C. de Pact.* Gail. *d. observ. 27. num. 21.* Sed, an fidejussor, qui se ut principalem, *als selbst Schuldner* obligavit, per hoc beneficium *excussionis* renunciassè censendus sit? Affirmant contra Panormit. ad *cap. 2. h. t.* & Schneidew. ad *h. t. Inst. §. 4. num. 11.* Gail. *lib. 2. observ. 28. num. ult.* Herings *tract. de fidejuss. c. 27.*

part. 1. num. 118. Berlich. *part. 2. conclus. 23. num. 4. & seq.* Ratio est, quia hac clausula apposita creditor solius fidejussoris fidem secutus censetur, quæ aliàs otiosa foret. Deinde certum est, quod contrahentes per pacta sua legem ac formam contractibus dare possint. *l. 1. ff. deposit. l. 52. ff. de V. O.* licet igitur fidejussor ex præscripto juris tantum accessorie obligetur, & sic in majorem summam, ut fidejussio teneat, assumi nequeat, ut paulò ante ostendimus, potest tamen, si velit, in plus se obligare *§. 5. Inst. h. t.* imò, & principaliter, privilegio suo sponte cedendo *l. 23. ff. de R. J.* itaque cum renunciare aliud non sit, quàm se principalem debitorem constituere, hoc ipso renunciassè merito censetur, quia nihil interest, verbis, vel factò quis intentionem suam declarat. *l. 32. §. 1. ff. de LL.*

Objicies: *Novatio* non inducitur, nisi expressè id agatur. *l. ult. C. de Novat.* atqui si fidejussor constituendo se principalem debitorem non gaudet beneficio *excussionis*, novatio inducitur, quia per hoc principalis debitor liberatur. Resp. negando, principalem debitorem per hoc liberari, sed tantum dicimus, fidejussorem præter debitorem principalem etiam principaliter obligari sine beneficio *excussionis*. Fachin. *lib. 8. cap. 54.*

De juramento quoque dubitatur, an, 38 si fidejussor jurejurando se obstrinxerit, eundem effectum pariat, quem expressa renunciatio? Affirmant non pauci, ut Panor. in *cap. 9. de jurejur.* Hering *d. cap. 27. part. 1. num. 45.* Gail. *lib. 2. observ. 80. num. 11.* Negant verò probabilius Covarruv. in *cap. quamvis 2. part.*

part. 1. §. 4. num. 4. de Pact. in 6. Gomez lib. 2. var. resolut. cap. 13. n. 21. Fachin. lib. 3. cap. 15. & alii, quia juramentum sequitur naturam actus, cui apponitur, sed de natura fidejussorii actus est, ut prius excutiatur principalis debitor: ergo; præsertim cum hoc beneficium excussionis summa æquitate nitatur, cui proinde jurando præcisè renunciatum non censetur, nam juramentum hoc tantum firmat contractum, non autem tollit beneficia competentia, unde tanquam stricti juris ad incognita extendi non debet.

39 Non obstat I. cap. 9. de jurejurand. tamen enim ibi S. Pontifex jubeat, fidejussores juratos solvere, per hoc tamen non probatur, quod voluerit illis beneficium excussionis adimere, sed supponitur ibi jussio conformiter ordini juris fuisse facta, hoc ipso, quod hoc beneficium expressè ipsis non fuerit ademptum.

40 Non obstat II. l. 77. §. 23. ff. de legat. 2. ubi dicitur, quod juramentum de observanda ultima voluntate vel à testatore, vel ab hærede præstitum, faciat, ut, quanquam aliàs testamentum non valeret, ex virtute tamen juramenti ultima voluntas sustineatur: ergo eandem quoque vim habebit juramentum, ut æquivalet renunciationi. Ad hoc paucis repono, casum in cit. l. 77. omnino diversum esse, à separatis autem malam fieri illationem docet nos l. 20. ff. de Minor. l. ult. C. de calumniat.

Et hæc nostra conclusio multò magis obtinet in fidejussore indemnitate, vel subsidiario *Schedlos-Bürg, oder Ruck-Bürg*, qui tantum sub conditione obligatus censetur, si à reo principali debitum exigi non poterit l. 116.

ff. de V. O. Gail. cit. obs. 27. num. 10. Gomez d. cap. 13. num. 3.

II. Non gaudet beneficio excussionis fidejussor, si principalis debitor in remotis degat, vel latitet, ita, ut sine magno creditoris incommodo conveniri nequeat. d. auth. presente C. h. t. quo casu judex certum tempus præscribet fidejussori, ut intra illud spatium reum principalem in judicio sistat, aut eo elapso excussio pro facta habeatur. Menoch. de Arbitr. lib. 1. casu 40. Hering cap. 27. num. 31. quod Gomez cit. cap. 13. num. 14. etiam extendit ad casum, quo reus principalis præsens quidem est, sed conveniri non potest, vel de facto, quia persona valde potens, vel rixosa, arg. l. 2. ff. qui satisd. cog. vel de jure, quia naturaliter tantum obligatur, nec enim locum habere potest excussio, ubi locum non habet actio, aut quia durat officium Magistratus l. 2. ff. de Jurisd. aut, si bona rei principalis sint in alieno regno, vel Provincia secundum Barbof. in cap. 2. h. t. num. 12. III. Cessat hoc beneficium, si debitor principalis notoriè solvendo non sit, quia tunc frustra excussio institueretur l. 6. ff. de Dol. Gail. d. observ. n. 14. Myning. d. observ. 15. Barbof. d. cap. n. 16. aut si bona rei principalis ita hypothecis, vel censibus sint obnoxia, ut venum exposita non inveniant emptorem. IV. Si quis fidejussionem factam inficietur. l. penult. C. si contra jus, vel utilit. l. 10. §. 1. ff. h. t. Nemo enim fructum debet consequi ex eo, quod nisus est impugnare, & frustra legis auxilium invocat, qui in legem committit. l. 8. §. 14. ff. de Inoffic. testam. l. 37. ff. de Minor. V. Si fidejussor principali debitori succedat, quia tunc con-

venitur ut hæres. *l. 24. C. h. t.* Plures alia limitationes videantur apud Gomez, Hering, Vasquium *Illustr. controu. l. 1. cap. 33. num. 12.* & Berlich. *conclus. 29.* qui 91. casus excipit.

42 Alterum beneficium vocatur beneficium *divisionis*, vi cuius unus confidejssorum conventus petere potest, ut alii quoque pro rata conveniantur. *§. 4. J. l. 49. §. 1. ff. l. 10. §. 1. C. h. t.* Olim quidem, si plures fidejssores intercesserunt, singuli in solidum obligati fuerunt, postea verò Epistola Hadriani, à D. Pio in *l. 49. §. 1. in fin. ff. h. t.* repetita, obligatio inter illos aequaliter pro partibus virilibus divisa est. Quo verò huic beneficio locus sit, debent vel litis contestatae tempore, vel, cum creditor ab eis solutionem petierit, omnes fidejssores solvendo esse: quod si litis contestatae, vel divisionis tempore unus solvendo non fuerit, aut ante excussionem sine hærede decesserit, tunc unus solutionis reliquis accrescit, etiam uni, si ille solus solvendo existat: nec enim isthoc beneficium fidejssoribus aliter concessum est, quàm quateus fieri potest divisio sine gravi damno creditoris. Sin verò post litem contestatam, vel factam legitime divisionem unus solvendo non fuerit, id creditori nocebit, qui sibi imputare debet, quod illos tempestive non excusserit, & convenerit, dum adhuc solvendo erant: neque hoc obesse potest aliis confidejssoribus, qui semel liberati non possunt inviti reduci in pristinam obligationem, *§. 4. J. l. 26. §. seq. l. 51. §. 4. ff. l. 16. C. h. t.* adeo quidem, ut tametsi creditor esset *minor*, beneficium restitutionis propterea ei non competeret, propter illa verba *cit. l. 51. §. 4. Nec au-*

xilio defendetur etatis actor; non enim deceptus videtur jure communi usus.

Hoc beneficium fidejssoribus non ipso jure prodest, sed ope duntaxat exceptionis *l. 28. ff. h. t.* unde, si unus ex pluribus fidejssoribus sine ope exceptionis *solidum* solvit, nihil à creditore tanquam indebitum repetere poterit, sed sibi imputare debet, quod exceptionem hujus beneficii non opposuerit. *d. §. 4. J. §. l. 39. §. 49. §. 1. ff. h. tit.* Nec contra confidejssores habebitur actionem *d. §. 4. §. l. 39.* quia inter illos non contrahitur obligatio, imo nec illorum negotium gessisse dici potest, quia proprium magis, quàm aliorum negotium gessit, & se potius, ac principalem debitorem, quàm confidejssores obligatione liberare voluisse censetur. Cæterum hæc exceptio, tanquam *peremptoria*, etiam post litis contestationem usque ad sententiam definitivam opponi potest. *l. 10. §. 1. C. h. t.* & fidejssoribus quoque *indemnitas* conceditur, *l. 7. ff. de Fidejss. tutor. l. 27. §. 1. ff. h. t.* imò & *correis* promittendi *Nov. 99. cap. 1. & auth. Hoc ita C. de duob. reis* sententia verò semel prolata non aliter admittitur, nisi ab ea provocatum fuerit, quia per appellationem res in eum statum reponitur, in quo fuit tempore litis contestatae. *Zoësius ad ff. h. t. num. 54.*

Cessat hoc beneficium variis casibus. I. Si eidem renunciaverint, quod factum censetur, si se fidejssores *indivisim, unverscheidentlich* obligaverint, impossibile quippe est, obligari *indivisim*, & reservare sibi beneficium *divisionis*. Gaudent verò adhuc hoc beneficio, si se *in solidum, gesambr, und sonders* obligaverint, est enim de
na-

natura fidejussionis, obligare fidejusso-
res *in solidum*, non item obligare se in-
divisim & veluti principalem. *l. 3. C. h. t.*
Zöel. *hic num. 29.* Cessat II. Si fide-
jussionem factam esse, temerè, & fal-
so inficiati fuerint. *l. 10. §. 1. ff. h. tit.*
III. Si plures pro uno tutore fidejusse-
rint, rem pupilli salvam fore, ne scili-
cet causa pupilli cum ejus incommodo
in plures dividatur. *l. ult. ff. rem pupill.*
salv. vid. Schilter. exercit. 37. §. 89. §.
2. seqq. IV. Si confidejussor se effica-
citer obligare non potuit, ut, si quis
fidejubeat cum pupillo, aut vir cum
muliere, nam hæc *SC. Vellejano* juva-
tur, ille in solidum tenetur. *l. 48. ff.*
h. t. Harpprecht *h. t. §. 4. num. 17.*
& hoc, si in rem prorsus alienam fide-
jussio facta sit, secus, si in rem com-
munem, tunc enim pro parte sua tene-
bitur etiam mulier. *l. 13. 17. §. ult. §.*
l. 18. ff. ad SC. Vellej. V. Fidejussor
fidejussoris non potest petere benefi-
cium *divisionis* inter se, & suum fide-
jussorem, quia primus fidejussor locò
rei principalis censetur. Aliud, si cum
aliis confidejussoribus substitutis con-
currat. *l. 27. §. 4. ff. h. t.* VI. Cessat,
si fidejussores se ad factum obligarunt,
quod individuum pro parte præstari ne-
queat. *l. 25. §. 9. ff. famil. ercisc. l. 2.*
§. 1. §. l. 72. ff. de V. O. Nisi factum
promissum fuerit sub conditione, ut in
defectum facti pecunia daretur, quia
pecunia pactis præstationem commodè
recipit.

45 Tertium beneficium fidejussoribus
competens est *cedendarum actionum*,
quo creditor fidejussori *solidum* solven-
ti, aut solvere parato cedit actiones
tum contra debitorem principalem, tam
personales, quàm hypothecarias, & rea-

les, tum contra confidejussores, ut sci-
licet data occasione tam contra princi-
palem debitorem, quàm confidejusso-
res, aut etiam pignorum possessores uti,
& omni meliori modo sibi consulere
possit, *l. 11. 12. 17. 36. l. 41. ff. l. 11.*
§. 14. C. h. tit. Nov. 4. cap. 1. in fin.
Per hanc cessionem fit fidejussor pro-
curator *in rem suam*, nec desinit talis
esse, mortuo creditore, qui cessit.
Elucet verò hujus beneficii utilitas,
& necessitas tum maximè, cum prio-
ribus duobus beneficiis vel propter
absentiam, aut notoriam inopiam prin-
cipalis debitoris, aut confidejussorum
locus esse nequit, contra quos hoc
beneficium non tam utile, quàm neces-
sarium est, quoniam nullam aliàs con-
tra ipsos actionem haberet. *l. 39. ff. h. t.*
etsi enim solvens conditionem cætero-
rum meliorem faciat, sicque videri pos-
set, quod contra ipsos habeat actionem
negotiorum gestorum, attamen hoc eo
casu fallit, quo quis non habet causam
promovendi alterius utilitatem, & per
hoc eundem sibi obligandi. Cætero-
quin utilitas hujus beneficii etiam per
hoc se commendat, quod, quanquam
fidejussor in certis casibus vel actione
mandati contraria, vel actione *nego-*
tiorum gestorum totum id repetere pos-
sit, quod pro principali debitore sol-
vit, cessa tamen à creditore actio ordi-
nariè pinquior sit, maximè propter hy-
pothecas, & pignorum creditori consti-
tuta: nam si fidejussor tantum actione
negotiorum gestorum debitorem princi-
palem conveniret, in classem credito-
rum *chirographariorum* tantum veniret,
& si bona debitoris non omnibus suf-
ficerent, proportionaliter cum aliis par-
tem debiti remittere deberet: sin verò

actione cessa utatur, in hypotheca creditorum constituta omnibus aliis preferatur, eamque persequi poterit tam contra ipsum debitorem, quam quoscunque alios rei oppignoratae, vel hypothecatae possessores *l. 11. § 14. C. b. t.*

46 Dubium hic oritur, an cessio ista non tantum ante, vel in ipso actu solutionis, verum etiam post illam fieri possit? Multis, etiam ex hujatibus DD. placet, hanc cessionem non aliter valere, quam, si solutionem praecesserit, vel in continenti facta fuerit. I. ob textum in *l. 76. ff. de solut.* ubi dicitur, cessionem fieri non posse, nisi ante solutionem petita sit, quia facta solutione nulla actio superest, quae cedatur. II. Solutione debiti omnis sublata est obligatio *l. 107. ff. de solut.* ergo non est, quod creditor expost cedat fidejussori.

47 At magis est, ut cessio post solutionem etiam ex intervallo facta subsistat. Textus convincens est in *l. 36. ff. b. t.* & ratio, quae ibi datur, quod fidejussor creditorum solvens quasi emptor nominis censeatur, cui pretio persoluto semper actio competit. *l. 11. § 13. § 8. ff. de act. Empt. Coler. de Process. Execut. part. 1. cap. 10. Petr. Heig. in suis quest. part. 1. quest. 38. num. 10.*

48 Ad *l. 76. ff. de solut.* respondetur, quod ibi sermo sit de tutore, non verò fidejussore; unde cum tutore solventi contra contutores suos actio utilis competat, licet nulla ipsi actio à pupillo cessata sit *l. 1. § 13. ff. de tutel. § rat. distrah.* e contra fidejussori contra confidejussores nulla omnino actio competit, nisi beneficio cessionis. *l. 39. ff. § l. 11. C. b. t.* aequum est, ut iste post solutionem habeat actiones cessas, non verò ille. Hering. *cap. 28. n. 45.* Quod

autem contutoribus detur actio utilis etiam sine cessione, non verò confidejussoribus, Glossa in *d. l. 39.* hanc rationem assignat, quia officium illorum est *necessarium*, nam invitus quis cogitur suscipere tutelam: ergo meretur relevari. Deinde, quia fidejussoribus contra debitorem datur actio *mandati*, quae ipsis utcumque consultum est, non item tutoribus, nisi haberent hanc utilem *negotiorum gestorum* actionem. Ad *l. 107.* respondeo distinguendo antecedens: solutione debiti solvi obligationem ex parte creditorum, ita, ut idem bis exigere nequeat, concedo, ex parte confidejussoris, nego, quia is, ut diximus, censetur emere nomen; neque enim donatio in illo praesumi potest, qui necessitate adstrictus solvit *l. 25. ff. de Probat. l. 50. ff. de solut.* Deinde sciendum est, quod duplex hic interveniat obligatio, una debitoris, altera fidejussoris: licet igitur fidejussor per solutionem dissolverit suam obligationem, manet tamen principalis ipso jure adhuc obligatus, & haec obligatio etiam ex intervallo cedi potest fidejussori, nisi & iste nomine principalis solverit & dixerit v. g. se tot florenos dare, pro, & nomine Titii principalis debitoris, hoc enim casu omnis obligatio sublata esset, quod tamen in dubio non praesumitur, sed fidejussor pro se, non pro principali solvisse censetur.

Sed quid proderit cessio actionum, 49 si ceteri solvendo non sint, adeoque debitorum inopia actiones excludat? Resp. teneri saltem, cum ad pinquiorum fortunam pervenerint.

Quodsi creditor actionem cedere 50 non potest, forte propter speciale pactum cum debitore initum, quod ab eo

petere nolit, hoc casu poterit ille à fidejussore quoque removeri, si solutionem urgeat. *l. 95. §. 11. ff. de Solut.*

51 Porro cessio ista fidejussori solvendi taliter facienda est, ut eas tantum partes, quas extra suam solvit, à confidejussoribus recuperet, non quidem à singulis *solidum*, sed ratas, & viriles portiones. V. G. tres fidejussores pro 300. *fl.* fidejusserunt, unus solvit debitum rei principalis *in solidum*, cedentur huic actiones pro 200. *fl.* contra fidejussores, quos non ab uno, sed ambobus, à quovis scilicet 100. *fl.* exigit. Francus *de Fidejuss.* cap. 5. num. 490. *§. seqq.* Hering. cap. 27. part. 3. num. 28.

52 Præter recensita tria beneficia communicantur fidejussoribus illæ quoque exceptiones, quæ ipsi debitori principali competunt. Et quidem de *realibus* constat *ex l. 15. §. 32. ff. h. t. l. 21. §. seqq. ff. de Pact. l. 7. §. 1. l. 19. ff. de Except.* tales sunt *res judicata, doli mali, jurisjurandi, quod metus causa, non numerate pecunie.* *§. fin. J. de Replicat. l. 11. C. de Except.* Personales verò exceptiones, quæ non rei, sive obligationi coherent, sed personæ debitoris, fidejussoribus non competunt. *d. l. 7. ff. de Except.* quia privilegia personæ concessa personam non egrediuntur *l. 25. §. 1. ff. de Pact. cap. 7. de R. J. in 6.* tales exceptiones sunt beneficium *competentie*, aut, si principalis bonis cesserit. *d. §. fin. J. de Replicat.* Aut, si minor, pro quo aliquis fidejussit, restitutus sit in integrum. Exceptio tamen *SCTi Vellejani* mulieri competens etiam fidejussori datur, quia ibi nulla omninò, neque *naturalis* obligatio, etiam *fictione juris* adest. Item

exceptio *SCTi Macedoniani filiofamilias* data. *l. 9. §. 3. ff. ad SC. Maced.*

Quid autem, si debitori terminus 53 solutionis à creditore prorogatus fuerit, an tunc fidejussoris accessoria obligatio similiter prorogata censebitur, num verò ipse fidejussor liberabitur? Resp. cum Berlichio *part. 2. conclus. 25. num. 18.* vel fidejussor simpliciter, & sine certi temporis expressione accessit, & non liberabitur per prorogationem termini, quia tunc ad omnem casum, & causam obligatus intelligitur, donec scilicet creditori satisfactum fuerit. *l. 54. ff. locat. l. 56. §. 2. ff. h. t.* Vel ad certum, & definitum tempus se obligavit, & tunc liberabitur (intellige quoad præstationes futuras) nam etiam tempus potest esse modus finiendæ obligationis, si ex hac causa appositum, & inter partes ita conventum fuerit. *l. 42. ff. de V. O. Gail. lib. 2. observ. 30. Fachin. lib. 2. cap. 88.*

Dices: Pignorum, & fidejussorum par causa est. *l. 21. §. ult. ff. de Constit. pecun. l. 1. §. 9. ff. de Collat. bon. l. 4. §. 8. ff. de Fideicommiss. libert.* Atqui in reconductione, sive prorogatione conductionis priora pignora obligata manent: ergò & fidejussor in tacita, sive prorogata conductione tenebitur. Resp. negando paritatem, quia pignora in reconductione ideo obligantur, quia sunt conductoris, qui se ultro in nova obligatione constituit; secus esset, si alius res suas pro eo obligasset, tunc enim idem de his, quod de fidejussoribus, dicendum esset. *l. 13. §. ult. ff. locat.*

Duo alià adhuc beneficia fidejussoribus 54 competere dicuntur, unum ex *l. 38.*

l. 38. ff. Mandat. & cap. ult. h. t. alterum ex l. 28. ff. h. t. quæ explicata reperies apud Clar. D. D. Peregrini h. t. num. 11. Cessat fidejussio iisdem mo-

dis, quibus finitur principalis obligatio. l. 43. ff. de Solut. de qua pluribus in tit. seq.

TITULUS XXIII.

De Solutionibus.

Quoniam *Solutione ejus, quod debetur, tollitur omnis obligatio, ut ait Justinianus princ. J. Q. M. T. O.* idcirco, postquam de obligationibus, quæ ex variis contractibus oriuntur, in præcedentibus Titulis egimus, modos dissolvendæ obligationis subjungimus.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Solutio? à quo, & cui facienda?

SUMMARI A.

1. *Solutio latè accepta omnem liberationis modum complectitur, estque vel vera, vel ficta?*
2. *Solutio vera & propriè talis describitur.*
3. *Solvere potest omnis liberam rerum suarum administrationem habens. Et quid de pupillo, & Minore, nec non tutore?*
4. *Alius pro alioolvere potest, ubi tamen refert, an pro mandante, ignorante, aut etiam invito solvatur.*
5. *An successor in beneficio Antecessoris sui debita expungere teneatur, huic questioni triplici responsione satisfi.*
6. *An creditor versionem in utilitatem Ecclesiæ probare teneatur, remissivè?*
7. *Præstanda est solutio debitori, si legitime etatis fuerit & mentis compos.*
8. *Etiam procuratori rectè solvitur.*
9. *Non etiam alteri, nisi jubente creditore.*
10. *Benè verò illi, qui disjunctivè in contractu solutionis causâ adjectus est.*

Solutionis nomen usque adeò latè patet, ut omnem liberationis modum complectatur. *l. 54. ff. de Solut.* Et in hoc sensu solutio nihil est aliud, quàm legitima satisfactio pro eo, quod in obligatione est. *l. 52. ff. h. tit. l. 176. ff. de V. S.*

Solutio ita descripta est vel vera,

vel ficta. Sub hac continentur acceptilatio, novatio, delegatio, compensatio, confusio, rei interitus, perceptio fructuum ex pignore, ac debiti oblatio cum obsignatione & depositione facta, de quibus Interpretes ad *Tit. J. Q. M. T. O.* & nos in fine *h. t.* Solutio vera, seu in pressò suo significato specta-